UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

COLLATIO-||NVM SACRARVM|| LIBRI VIII.|| Tilmanni Bredenbachij S. Th. D.||

Bredenbach, Tilmann

Coloniae Agrippinae, 1592

VD16 B 7378

67. Priuilegia Ecclesiarum confirmantur, inducta in contrarium tolluntur, & eleemosynæ consultæ dari iubentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-65002

Visual Library

Quod ſi fecerint, & requiſiti ab Eccleſia vel ab imperio, emendare contempſerint, triplum refundant, & nihilominus banno imperiali ſubiaceant, quod abſque ſatisfactione debita nullatenus remittatur. Item, quæcunque communitas, vel perſona per annum in excommunicatione facta, propter libertatem Eccleſiæ perſtiterit, ipſo iure imperiali banno ſubiaceat, à quo nullatenus extrahatur, niſi prius ab Eccleſia abſolutus fuerit. Item ſtatuimus, vt nullus Eccleſiaſticam perſonam in criminali quæſtione vel ciuili trahere ad iudicium ſeculare prçſumat cõtra conſtitutiones imperiales, & canonicas ſanctiones. Quod ſi fecerit, actor à iure ſuo cadat, & iudicatum non teneat, & iudex ſit ex tunc iudicandi poteſtate priuatus. Statuimus enim, vt ſi quis clericis vel perſonis Eccleſiaſticis iuſtitiam denegare præſumpſerit, tertiò requiſitus, ſuam iuriſdictionem amittat.

Imperatores Valentin. & Martianus A.A. in l. priuilegia, C. de ſacroſanctis Eccleſiis. Priuilegia Eccleſiarum confirmantur, inducta in contrarium tolluntur, & eleemoſynæ conſuetæ dari iubentur.

CAP. LXVII.

PRiuilegia, quæ generalibus conſtitutionibus vniuerſis ſacroſanctis Eccleſiis ortho-

thodoxæ religionis retrò principes præſtiterunt, firma & illibata in perpetuum decernimus cuſtodiri. Omnes ſanè pragmaticas ſanctiones, quæ contra canones Eccleſiaſticos interuentu gratiæ vel ambitionis illicitæ ſunt, robore ſuo & firmitate vacuatas ceſſare præcipimus. Et quia humanitatis noſtræ eſt, egenis proſpicere, ac dare operam, vt pauperibus alimenta non deſint, ſalaria etiam, quæ ſacroſanctis Eccleſijs in diuerſis ſpeciebus de publico hactenus miniſtrata ſunt, iubemus nunc quoque inconcuſſa, & à nullo prorſus imminuta præſtari, liberalitatique huic promptiſſimæ perpetuam tribuimus firmitatem.

Theodoretus lib. 1. cap. 2. & 11. Eccleſiaſt. hiſt. Imper. Conſtantinus Magnus leges pro honore & immunitate ſacerdotum ſanciuit, annonam illis ſuppeditauit, ignominiam illorum ſuo paludimento ſe obtecturum aiebat.

CAP. LXVIII.

Conſtantinus Imperat. dedit prouincijs & gentibus mandatum, vt Sacerdotes honore afficerent: illis autem, qui eoſdem contumelijs infectari aggrederentur, exitium minatus eſt. Poſtmodum Epiſcopos Nicæni Cõcilij magnifico epulo excepit, cumq; inter illos quibuſdam videret dexteros oculos effoſſos, intellexiſſetque, quod conſtantia pro pietate

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN